

Crataegus viridis est tua coloribus depicta, sed Angli credunt hanc meram esse varietatem Crataegi coccineae, nec multum repugnabo; cum jam in horto video quomodo Crat. coccinea admodum variat.

Miror etiamnum magnopere num Tuum Cichorium non sit Cichorium Endivia, et differat ut sylvestris a sativa.

1770. Decembr. 14.

54.

Vir amplissime!

Non est aequae facile dignoscere plantas e figura ac e specimine sicco, ut ut Tuae figurae, quod fateor, sint omnium perfectissimae.

Cynanchum erectum non novissem e figura, sed tua forte planta nata in libera terra, nec in olla, unde magis florida. Nepetam nudam difficile dignosco. Sison Ammi adhuc minus e figura.

Optimus Rex noster Asphixia repente abreptus est.

Tu vale diu, et ut facis promove Botanicam.

Upsaliae 1771, d. 26. Febr.

21. Cytisus austriacus . sic est.

25. Papaver dubium . omnino.

23. Erysimum cheiranth. videtur, sed pedicelli magis horizontales, siliquae magis perpendiculares in nostra.

24. Nepeta, nuda ut videtur.

18. Carduus mollis, sic est.

20. Cytisus supinus videtur.

39. Malva. Malva parviflora mea, ni valde fallor.

52. Sison Ammi. Non est, ex figura non facile dignoscuntur huic similes.

46. Lathyrus tingitanus. Sic est.